et contingit Angelus & Caelos, non tamen eodem modo. ad 2dum dico,
quod respectu Dei angelus utique videatur corporeus, non quod veraciter
habeat, id est physica, sed potius infinita distantiam, quae est inter Deum
& Angelum; Angelus quia est medium inter substantias pure corporeas
& inter substantiam divinam, medium autem comparatum cum uno extremo
videtur esse alterum extremum, sicut tepidum comparatum cum frigido
est calidum, comparatum cum calido est frigidum.

Ob. 3. S. Doct. ex S. Ambrosio ait, quod omnis creatura suis sit
circumscripta limitibus: sed quod non est corpus non potest circumscribi:
ergo angeli habent corpora. 2. ait idem S. Doct. ex S. Damasceno
quod angelus est substantia semper mobilis: sed quod est substantia semper mobilis
debet esse substantia corporea vel corpus: ergo. Resp. ad 1 ex S. Doct.
1 p. q. 50. art. 1. ad 2. Dicendum, quod circumscribi terminis localibus est
proprium corporum, sed circumscribi terminis essentialibus est commune omnibus
creaturis tam corporali quam spirituali. unde ait Ambrosius l. de Spir. S.
quod licet quaedam locis corporalibus non contineantur circumscriptione
tamen substantiae non carent. ad 2 s. de angelis dicatur dico, id
significandum de motibus spiritualibus intellectus & voluntatis, eo quod Angelus sit
intelligat, nec sit quandoque in actu, quandoque in potentia.

Ob. 4 ex Cap. 6. Genes. legitur filios Dei ingressos esse ad filias hominum
& hos genuisse, nomine filiorum Dei a 70 interpretes intelligunt angelos.
atqui quomodo angeli potuerunt generare si corpora non habuerunt
ergo angeli sunt corporei. 2. res corporeae possunt agere in veros
spiritus: ergo isti spiritus debent esse corporei. antecedens patet in igne
infernali agente in daemones. Resp. ad 1, quod angeli generarint non
semine a seipsis deciso, sed generatione quasi ministeriali, et semine
aliunde accepto. vel dicas, per istos filios Dei intelligi filios Seth,

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
© Universitätsbibliothek Heidelberg
https://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/salVIII65/0494
gefördert durch Baden-Württemberg